



335

333

339

329

344

324

384

284

434

234

320

eumque benedixit, et prommissionem de nascituro Christo ex eo praenuntiavit, panemque et vinum obtulit. Cui Abraham primitias et decimas omnium, quae habebat, dedit. In hoc loco terram deosculati sumus, et indulgentias (†) recepimus, et fecimus, juxta quod hortatur Apostolus Rom. 7. dicens: intuemini, quantus hic Melchisedech sit, cui decimas dedit de praecipuis Abraham patriarcha. De illo S. Melchisedech habes supra fol. 116. B. Ab illa capella transivimus ad murum chori ecclesiae, supra ad dextram gyrantes, et longe lateque per civitatem respicere poteramus, et distantiam a porta, per quam Dominus Jesus cum cruce eductus fuerat, usque ad montem Calvariae, optime notare poteramus.

Atrium ante ecclesiam sancti sepulchri haec loca habet, et in eo sunt, quae sequuntur.

His visis descendimus per gradus, per quos ascenderamus in templi atrium, et prope ostium monstratus fuit nobis lapis quidam in pavimento (B), cui erant impressa vestigia duorum pedum hominis, ac si homo staret super massam cerae mollis, et pedes infigeret, et videtur manifeste, quod figurae illae vestigiorum non sunt artificiose lapidi incisae, sed aliquo miraculo; de quo tamen nulla habetur certitudo. Dicunt tamen, quod vestigia illa sint Domini Jesu ibi stantis sub rupe Calvariae, et suam crucifixionem exspectantis. Ante hunc lapidem prostravimus nos, et sancta deosculati sumus vestigia. Inde consequenter processimus prope exitum de atrio, et in locum venimus, ubi Dominus bajulans sibi crucem gravem dicitur sub cruce corruisse prae angustia et horrore, cum vidisset ante se rupem Calvariae, ut supra patuit fol. 92. Hic locus sacer signatus est lapide, in quem multae cruces sunt incisae per peregrinos. Hunc ergo locum deosculati sumus et indulgentias (††) plenariae remissionis accepimus.

Palatium regis Jerusalem juxta templum.

Post haec de atrio exivimus et in sinistra parte ecclesiae per ostium quoddam ingressi in hortum quendam venimus,

Ende

Anfang